Ecclesiarum, hospitalium, vel locorum aliorum piorum, & rationem, & computum quærendum, audiendum, & exigendum, & de receptis pacem, finem, & quitationem, & omnimodam remissionem, & pactum de ulterius non petendo faciendum nomine ipsius Domini Episcopi, & Ecclesiæ de Bethlem, & beneficiorum prædictorum, & aliorum hospitalium, & piorum locorum in dictis civitatibus, & diœcesibus existentium ad dictorum Domini Episcopi, & Ecclesiæ de Bethlem, & beneficiorum prædictorum jus spectantium, & pertinentium, & ad se nomine ipsorum Ecclesiæ de Bethlem, & Episcopi bona pignori obligandum, necnon ad visitandum, corrigendum, instituendum, destituendum, & ponendum ipsas Ecclesias, hospitalia, & pia loca, & res, & bona, atque personas quascumque cujuscumque conditionis ordinis, vel status in ibidem existentes, & moram trahentes, quam alias quascumque, necnon quæstores nomine dictæ Ecclesiæ de Bethlem quærentes eleemosinas quæstas, & legata, atque vota deponendum, & de novo instituendum, & ipsos, & quemlibet ipsorum corrigendum, & promovendum in ipsis locis, & de personis, & rebus ipsorum, & tam in spiritualibus, quam temporalibus justitiam, & rationem faciendum, exhibendum, & administrandum, & generaliter ad omnia, & singula in prædictis, & quolibet prædictorum necessaria, & opportuna faciendum, quæ verus procurator, & vicarius in spiritualibus, & temporalibus facere, corrigere, & visitare, seu reformare posset, etiamsi talia forent, quæ mandatum exigant speciale, & ea etiam quæ ipsemet Dominus Episcopus de Bethlem facere posset in prædictis, & quolibet ipsorum, & dependentibus ab ipsis, & quolibet ipsorum si præsens adesset dans, & concedens dictus Dominus Episcopus de Bethlem suo, & prædictæ suæ Ecclesiæ nomine eidem S. Episcopo Aquensi in prædictis, & quolibet prædictorum, & dependentibus ab ipsis plenam, liberam, & generalem potestatem, ac mandatum speciale in his, in quibus exigitur, ita quod generalitas specialitati non deroget, nec e converso, in his totaliter committendo vices suas, donec eas ad se duxerit revocandas, promittens dictus Dominus Episcopus de Bethlem suo, & dicto nomine mihi Notario infrascripto, ut publicæ personæ præsenti, stipulanti, & recipienti vice, & nomine singulorum, quorum interest, intererit, seu interesse poterit quomodolibet in futurum se rata, grata, & firma perpetuo habiturum omnia, & singula facta, gesta, acta, administrata, seu procurata in prædictis, & quolibet prædictorum, & contra ea nullo tempore contrafacere, vel venire de jure, nec de facto sub obligatione omnium bonorum ipsius, & Ecclesiæ præfatæ de Bethlem, & membrorum, & pertinentiarum ipsius, quæ proinde, & pro prædictis observandis, adimplendis, & non contraveniendis, & firmis habendis mihi jam dicto Notario, quo supra nomine stipulanti pignori, hipotecæque nomine obligavit, renunciando dictus Dominus Episcopus de Bethlem suo, & nomine dictæ Ecclesiæ suæ in prædictis, & quolibet ipsorum exceptioni metus, & in factum conditioni, & exceptioni, sine causa, vel ex injusta causa, & rei non ita gestæ doli mali, & omni alii exceptioni, & juri tam canonico, quam civili, seu privilegio, aut rescripto tam impetrato, quam impetrando, præcipiens tam dictus Dominus Episcopus constituens, quam ipse Dominus Episcopus Vicarius constitutus de prædictis omnibus, & singulis fieri publicum instrumentum unum, & plura, prout fuerit opportunum per me Notarium infrascriptum ad dictatum unius, & plurium jurisperitorum. Actum . . . in domo habitationis Rev. Patris, & D. D. Guidonis Cardinalis Bononiensis, præsente Jacobo Pareti Leodiensis diœcesis familiari dicti Domini Episcopi de Bethlem, Presbytero Petro de Camborg Bisuntiensis diœcesis, & Bartholomeo de Bazanis de Casali Vercellensis diœcesis, & Laurentio de . . . . . diœcesis . . . . . testibus vocatis, & rogatis. Et ego Antonius Ferroglius Clericus Astensis publicus Imperiali auctoritate Notarius prædictis omnibus, & singulis una cum dictis testibus interfui vocatus, & rogatus, & in testimonium præmissorum signum meum consuetum apposui, & me suprascripsi.

Ex certa scientia animo deliberato vigore dictæ nostræ intentionis, commissionis, auctoritatis, bayliæ, & mandati præfatam Ecclesiam S. Laurentii sic ut supra vacantem cum omnibus suis juribus spiritualibus, & temporalibus, & aliis quibuscumque contulimus, & concedimus dilecto nobis in Christo Joanni nato Gulielmi Bavæ de Grazano, dicti Rogerii canonico Ecclesiæ Astensis absenti, tamquam præsenti; & Joannem de Guaschis canonicum Ecclesiæ collegiatæ S. Petri de Alexandria nostræ Aquensis diœcesis præsentem, & recipientem vice, & nomine dicti Joannis absentis, tamquam præsentis investimus, & investivimus præsentialiter in uno annulo aureo, quem in nostris manibus tenebamus de Ecclesia prædicta, & de omnibus juribus spiritualibus, & temporalibus, quovis modo spectantibus ad dictam Ecclesiam in signum vere traditæ, & apprehensæ possessionis Ecclesiæ prædictæ, & bonorum, juriumque ipsius Ecclesiæ prædictæ, mandantes, & committentes nos Episcopus Aquensis, & Vicarius, & commissarius prædictus per hoc præsens publicum instrumentum dilectis nobis in Christo venerabilibus viris Manuino, & Faccio de Grassis canonicis Ecclesiæ S. Evasii de Casali diœcesis Vercellensis, ac Presbytero . . . S. Valerii de dicto loco Occimiani diœcesis Vercellensis, & cuilibet eorum in solidum, quatenus accedant personaliter ipsi, vel unus eorum ad dictam Ecclesiam S. Laurentii, & dictum Joannem, seu ejus procuratorem ponant, & inducant in corporalem possessionem, seu quasi dictæ Ecclesiæ S. Laurentii, & bonorum, ac jurium quorumcumque spiritualium, & temporalium ipsius Ecclesiæ, & eidem Joanni faciant de reditibus, & proventibus ipsius Ecclesiæ S. Laurentii integre, & realiter ab omnibus respondere, amoto a dicta Ecclesia quodam Nicolino Teodori Ferrarii de Alexandria iniusto detentore, & occupatore, sic & de facto dictæ Ecclesiæ, & quolibet alio illicito detentore, invocato ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii sæcularis